

† R. P. Raphaël Villanacci (1851-1936)

(Prov. Neapol.)

Quis hominum in Agro Nucerino habitantium non noverit *Don Raffaele*, senem illum Ligoriana veste vetusta indutum cum collari semper aperto,



FIG. 1. — R. P. Raphaël Villanacci grandaevus.

copertum vetusto pileo, calceatum tegumentis pedum item pervetustis, baculo misero fultum (fig. 1)? Videbant eum fere cotidie modo hanc domum, modo illud tugurium petentem, hilari semper animo, sive inter pulverem vento agitatum, sive inter semitarum campestrium sordes, sive inter imbres densos hiemis, sive inter suffocantes aestatis calores. Urgebat hunc senem genuina caritas Christi, qui et animabus et corporibus succurrere

cupiebat, neque ab itineribus suis pedestribus tunc cessabat, cum octoginta aetatis annos iam egressus erat. Velut militi in mediis praeliis tandem ei mors obvenit.

In vigilia festi Immaculatae Conceptionis a. 1851 in loco Pastene prope Beneventum Raphaël Villanacci natus est, et hoc ipso die festo a. 1936, ergo completis annis 85, in collegio nostro Paganensi ad S. P. N. Alfonsi sepulcrum vita defunctus est.

Inde a d. 13 Mart. 1875 inter sacerdotes saeculares suae archidiocesis Deo fideliter servierat. Exstat liber *Eroi del villaggio* (Napoli 1928), in quo quidam vir saecularis, prof. P. Parrella, admirabundus confratri nuper defuncto, sed tunc temporis adhuc vivo, dedicat paginas pulcherrimas, et e propria experientia narrat facta talia, quae famosos illos Flosculos (*Fiorretti*) S. Francisci Assisiensis ac sociorum eius in memoriam revocent. E quibus paginis, quae in suo nativo idiomate gustari deberent¹, hic unum alterumve factum delibamus.

Raphaël Villanacci, quo tempore erat parochus, primum in Monterosi, tum in Rocchetta, demum in S. Nicola Manfredi, operae sacerdotalis suae mercedem temporalem aut plane respuebat, aut statim distribuebat pauperibus. Avitis bonis in favorem sororis et propinquorum renuntiabat. Ipse vivebat solitarius et pauperrimus in domo admodum incommoda, ac si quem indigentem reperiebat, ei, quod suum erat, generosa caritate donabat, sive calceamenta, sive tibialia, sive subuculam, sive femoralia, sive ligna. Quondam sua adeo liberaliter dilargitus erat, ut cogereetur domi manere sine cibo, sine foco, quasi sine veste, donec alius sacerdos, archipresbyter Andreas Manganelli, fortuito, vel potius a Deo missus, eum invisum venit et cum stupore tantam egestatem tantamque caritatem aspexit.

Ut erat corpore robustus, non abhorrebat a labore vel maxime servili, adiuvens agricolas in portandis saccis frumenti aut farinae et similibus operis. Facies eius erat variolis quidem deformata, habitus externus perquam miserabilis, nihilominus parvuli innocentes ubique post eum currebant amantes, et quondam in vico Pagliara puellula moribunda tum demum subridens animam efflasse dicitur, postquam dilectus parochus advenit.

Erat quoque Raphaël amantissimus sacrae lectionis. Libros biblicos sanctosque Patres non citabat ex aliorum allegationibus, sed e propriis fontibus, et cum ipse faceret quod docebat, eius eloquentiae inerat peculiaris ad persuadendum vis.

Tandem ex illo scriptore haec saltem, singula verba reddentes, transcribimus: « Quidam (ita Raphaëlem alloquitur), tuarum virtutum heroicarum invidus, (fortasse potius ignorantia sua motus) te 'rem tristem' appellaverat. O rem tristem! Numquid tu, anima pulcherrima, candidis-

¹ Cfr. folia *S. Alfonso VIII* (1937), 30-33.

sima, sanctissima, res tristis? An tu res tristis, tu, qui esses ut Angelus Dei, ubique bonum diffundens » ?

Raphaël Villanacci, maiorem perfectionem cum anhelaret, inter S. Alfonsi seguaces et filios cooptari voluit et d. 19 Oct. 1905 vota nuncupavit, annum agens quartum supra quinquagesimum. Apparebat autem vix quadragenarius, et ardore vere iuvenili apostolatui nostro sese devovebat, primum Neapoli, postea in Calabria. A. 1916 Lictoris novitiorum confessarius erat, unde Paganos venit, reliquum vitae ibi transacturus et opera caritatis in saeculo incepta continuaturus. Abiectus et despectus apparere cupiebat, quo melius aliis abiectis et despectis auxilio venire posset. Ipsi nullum erat tugurium nimis sordidum, nullum sacrificium nimis arduum, et eleemosynas illas, quas a Superioribus suis aut a magistratibus civilibus efflagitaverat, inter exercitium apostolatus sui sacerdotalis profusa caritate distribuebat.

Evenit aliquando, ut is, qui paulo ante in via Patrem vestitu adeo humili indutum iniuriis affecisset, brevi post, animo contrito ad eius pedes se prosternens, nobilissima benignitate exciperetur.

Sibi plane mortuus, amabat nesciri ac pro nihilo putari, et ad vitae vesperam cum venisset, gestiebat gaudio, quod in Congregatione non habuisset ullum munus honorificum. Eius honor et gloria erat visitare et adiuvere infirmos egentesque, comitari sacerdotes apud nos secessui vacantes, iuvenes nostros aliqua narratiuncula recreare...

Domi cum erat, eum reperiebas aut in oratorio aut in cella aut in bibliotheca; at quoties eius opera requirebatur, statim opus inceptum et vel ipsam corporis refectionem interrompebat.

Hic miles Chrirti intrepidus non debebat mori nisi in mediis praeliis. Die 4 Decembris 1936 ante meridiem per horas longas in gelido sôdaliciorum sacello, pristina ecclesiola publica, steterat ad iuvandos numerosos clientes, huius sancti sacerdotis absolutionem, consilium, orationem expetentes. Inde febricosus ivit cubitum. Pulmonum inflammationem sibi contraxerat, quae omni medici curae restitit. Aegrotanti seni non deerat diurna nocturnaue assistentia, ipse vero, more S. Martini, *invictum ab oratione spiritum non relaxabat*. Cotidie recepit s. communionem. Viatico confessionem generalem praemittere voluit et in extrema unctione preces liturgicas summa attentione secutus est. Tandem in mentis deliquio constitutus, quid dicebat? Non audiebantur ex eius ore alia verba nisi nomina pauperum et aegrotantium, exhortationes ad vitam sanctam vel ut e sacculo vestis talaris desumerent panem similiaque.

Festo primariae Instituti Patronae, ut iam diximus, hora 3 1/2 pom. inter totius communitatis preces placide expiravit, SS. Dei Genitricis effigiem manibus gestans. Nuntio mortis diffuso statim plurimi accurrerunt ad osculandum « viri sancti » corpus mortuum, quod interim assumpserat suavem quandam venustatem in vita nunquam habitam.

Et Deus, qui divina largitate remuneratur misericordes atque humiles exaltat, huius misericordis humilisque sacerdotis funus gloria singulari insignitum voluit, forte vel magis quam a. 1917 funus defleti Patris Losito. Populus, per clerum loci foliis prelo subiectis de re admonitus, die



FIG. 2. — Funus perquam sollemne R. P. Raphaëlis Villanacci.

mortem sequente tanta multitudine ad corpus in Basilica expositum accurrunt, ut templum semper oppletum fuerit. Orant, lacrimas fundunt, reliquias e vestibulis pie « rapiunt ». Nobis quidem statutum erat funus solita nostra modestia peragere, at ita fieri prorsus non poterat. « Extra ecclesiam (inquit populus) nos imperamus ». Non ex civitate Paganensi solum, quae hodie 20 000 incolarum habet, sed e locis etiam circumiacentibus multitudo per-

magna convenerat, sacerdotes quoque, religiosi, magistratus civiles, sodalicia religiosa et profana cum vexillis suis.

In fig. 2 hic inserta parvam partem comitatus funebris videre est, item aedificia more ibi usitato tapetis ac stragulis exornata. Arcam sepulcralem humeris gestare volebant, et quatuor primi magistratus feretri funes tenebant. Viri plurimi, nobiles ignobiles, credentes increduli, capite operto sequebantur. Sic igitur haec pompa maesta simulque triumphalis per praecipuos urbis vicos et compita processit. In ecclesia matrice altera data est absolutio in magnifico suggestu apposite parato. Sepultura autem gratuito concessa est in quodam loculo sacelli, quod sodalitas Dominae N. a Gallinis nuncupata in caemeterio communi possidet.

Tantum etiam hodie pietas et caritas sincera valent! et unus sacerdos Patris Raphaëlis similis plus ad debellandum comunismum efficit quam integer militum exercitus. Have, pia anima!
